



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 64. Calvinistarum libri flammis traditi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

a limine cujuscunque judicii excludi postulare. Id quoque tam Romæ effectui datum est; die enim quinta Augusti præfatus Cardinalis perscripserat, Papam fuisse pollicitum, quod hac in re nihil immutari vellet, ipsum etiam Banchierium significasse, quod ei Pontifex injunxisset, Archiepiscopo Salisburgensi ita rescribendum esse, ut decisioni factæ acquiescendum, nec ultra hoc in negotio quicquam immutatum iri sciret.

Sæc. XVIII.
A. C. 1730.

§. LXIV.

Calvinistarum libri flammis traditi.

Sub idem tempus Occidanæ Præfectus & Urbis Gubernator unacum aliquot centum militibus Nemausum ingressi, hujus Urbis compita, portas & plateas obsederunt, ac die sexta Junii Magistratum & Civium Primores ad Curiam convocarunt, ut Regis jussa perciperent. Præfata die Præfectus una congregatis denuntiabat, ad conservandam tranquillitatem publicam & præcavenda seditiosorum molimina Regem oppido necessarium duxisse, ut omnium incolarum ædes diligenter & attente perlustrarentur: Sancitum igitur esse, ut Urbis portas clauderent, cunctosque monerent, ne dato

Sæc. XVIII.
A. C. 1730.

dato signo vel e fenestris prospicerent, vel ædibus suis progredierentur. Julius obtemperat Magistratus, & secunda noctis hora Officiales cum militibus in singulas ædes involant, ablatisque que repererant, armis præcipue in Calvinianæ sectæ libros sedulo inquirunt, quorum ingentem copiam, præcipue Bibliorum, & Symbolicorum, ut vocant, librorum deprehenderunt. Nobili autem uberior marcidarum ejusmodi mercium suppellex inveniebatur, quam in ædibus Advocati Bleau, & alterius Cauffidici nomine Ronsier, prioris enim Bibliotheca ferme integra ejusmodi codicibus scatebat, ex alterius vero scriniis septuaginta quinque volumina extrahebantur. Omnibus hisce libris ad Urbis Prætorium deportatis lignorum strues accendebatur, inquam carnifex sensim omnes hos Codices projecit comburendos, ex quibus cum plura folia vento in aera raperentur, milites per jocum exclamabant *En! quam belle Calvinii spiritus avolat.*

§. LXV.

Epistola Antissiodorensis Episcopi ad comitia Cleri Gallicani.

Habebantur interim Parisiis consueta Cleri Gallicani comitia, in quibus præ-